

**Zeitschrift:** Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum

**Herausgeber:** Litteris Conradi Orellii et Soc.

**Band:** - (1746)

**Heft:** 4

**Artikel:** Vita Samuelis Battierii, [...]

**Autor:** Beckius, J.C.

**DOI:** <https://doi.org/10.5169/seals-394593>

#### Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften auf E-Periodica. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen sowie auf Social Media-Kanälen oder Webseiten ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. [Mehr erfahren](#)

#### Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. La reproduction d'images dans des publications imprimées ou en ligne ainsi que sur des canaux de médias sociaux ou des sites web n'est autorisée qu'avec l'accord préalable des détenteurs des droits. [En savoir plus](#)

#### Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. Publishing images in print and online publications, as well as on social media channels or websites, is only permitted with the prior consent of the rights holders. [Find out more](#)

**Download PDF:** 18.08.2025

**ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>**

# \* Vita SAMUELIS BATTIERII,

*Med. Doct. & Græc. Ling. Prof. in  
Acad. Basil.*

Natus est SAMUEL BATTIERIUS D. 23.  
Januarii 1663 Basileæ. Puer missus est  
in Gymnasium pàtrium, in quo abs-  
que ullius Præceptoris privati opera per singula-  
rem discendi cupiditatem tantum profecit, ut A.  
1680 sub æquinoctii autumnalis tempus ad le-  
ctiones publicas in Academia admitteretur. Ab  
eo tempore audivit Professores in philologicis &  
philosophicis disciplinis tum docentes. Præcipue  
usus est institutione privata V. C. JO. ROD.  
WETSTENII Fil. tum quidem Oratoriæ, postea  
S. Theologiæ Prof. quo duce etiam in Græcis egre-  
gia eruditionis suæ fundamenta posuit. A. 1683  
eodem Præceptore suo promotore concendit  
Magisterii Philosophici gradum. Ab eo tempore  
studio Artis medicæ se dedit, cuius discendi cau-  
sa audivit publice, privatimque Casp. Baubinum,  
Job. Rod. Burcardum, Jac. Rothium, J. Jacobum  
Harderum, Nic. Eglingerum, Theod. Zwingerum.  
Non abjecit interim Studium Philosophicum, &  
Philologicum. Mathezin solertissime didicit,  
Præceptore usus Jacobo Bernoullio. Algebraam,

Tt 2 item

\* Hanc Biographiam debemus studio, quo hoc In-  
stitutum nostrum prosequitur Vir Celeberr. atque litera-  
tiss. J. C. BECKIUS, S. Th. D. & Prof. in illustr. Acad.  
Basileensi.

item Calculum differentialem ac Analysis infinite parvorum sibi familiarem reddidit. Studio Medico finito, ipso A. 1600 Doctor ejus Artis publice creatus est. A. 1696 iter litterarium in Galliam suscepit, ibique Mathematicos, Philosophos, Philologos & Medicos frequenter audivit publice privatimque differentes. In Bibliothecis Parisinis, regia præcipue, assiduus fuit, in qua & saepius quinque aut sex horas continuas exegit. Manuscripta omnis generis græca evolvens. Argentoratum dein profectus adiit Boeklerum, Kühnium, & Scheidium. Cum rediisset donium, accepit litteras a Nicolao Görtlero, Cive suo, qui tum apud Bernenses docebat, qui eum ad Stationem aliquam in ea Schola obeundam invitabat. Porro Job. Henr. Wetstenius, etiam Basileensis; sed qui Amstelodami typographicam Artem cum summa laude exercebat, ipsum ad se, aut in aliquam Batavorum Academiam traducere laborabat: Sed Patriam relinquere noluit. A. 1704. D. 18. Febr. Græcam linguam in Academia Basileensi vicario nomine docere cœpit, ac demum sequentis anni mense decembri Professio Linguæ græcæ ad eum delata est. Vicariatum auspicatus erat lectione publica, de Studii Ling. Græc. utilitate atque commodis, deque aptissimo modo & ratione facillima studium illud incipiendi. Ipsius vero Muneris initio agebat, de iis, ad quæ potissimum attendi debeat, ut quis in antiquis Græcorum Scriptis non solum loca corrupta deprebendere, sed & eadem, si ullo modo id fieri possit, emendare valeat. Porro D. 12. Febr. 1706. publice recitavit Praelectionem de Litterarum Græcarum post industam plurium Sæculorum horrendam Barbariem, in Occiden-

*Occidentalibus Europæ Partibus interitum, & quomodo ex singulari Dei Beneficio tandem illæ insigniter reflo- ruerint.* Dum ita Provinciam suam strenue or- naret, Mense Sept. 1711 a *Luca Schröckio Acad. Nat. Curiosor. Præside*, accepit litteras, qui- bus ejus Academiæ *Socius*, cognomento *Erotianus*, dicebatur : Tantum enim abest, ut Artis Medicæ studium abjiceret, ut potius, & optimos quoque libros legendo, & Medicinam faci- endo docendoque eam sedulo excoleret. Immo vero etiam A. 1711, item A. 1721, nec non 1724 editis Speciminibus Disputationum, atque Prælectionum Medicam Cathedram tum vacan- tem ambibat. Sed Deo visum fuit, ut ad vitæ usque finem Græcæ linguæ docendæ insudaret ; id quod etiam docendo atque scribendo sedulo fecit. Rectoratum Academiæ semel, Facultatis Philosophicæ Decanatum saepius cum laude gessit. Inde ab A. 1727 Visitator fuit Gymnasii Basile- ensis, eique utilem operam præstítit. Ex com- pluribus Scriptis pauca edidit, quorum indicem subjicimus.

- 1690. *De Generatione Hominis.* 4.
- 1693. *De simplici Apprehensione.* 4.
- 1695. *Specimen philologicum sive Emendatio- nes variæ in Diogenem Laertium, Euripi- dem &c.* 4.
- 1696. *De Eloquentia.*
- 1701. *De Mente humana :* annexus est mani- pulus Emendationum aliquot in *Diogenem La- ertium.* 4.
- 1705. *Observationum & Emendationum in Di- ogenis Laertii Libros de Vitis Philosophorum*

Continuatio, cum Notis quibusdam in Julii  
Pollucis *Orophaesinov.* 4.

1710. De Mundo. 4.

1711. Oeconomiæ Corporis humani brevis De-  
scriptio. 4.

- - *Τυῶθι σεαυτὸν*, sive de Cognitione sui ipsius. 4.

1718. De Studio Animi Veritate & Virtute per-  
ficiendi maxime necessario. 4.

1721. Oeconomiæ Corporis humani Descriptio  
continuata. 4.

1724. Positiones medicæ. 4.

- - Observationes sacræ in Loca quædam N. T.  
in *Bibl. Brem. Class. VI.* p. 84.

- - In Locum ad Galatas II. 3. 4. 5. Observa-  
tio. *Ibid. Class. VII.* p. 56.

- - Observatio in Joh. VII. 21. 22. 23. *Ibid.*  
*Class. VIII.* p. 745.

- - Observationum in N. T. decas, *Ibid.* p. 941.

Ceterum sicut ex editis istis patet, Battierium no-  
strum præcipue diligentiam suam exercuisse in N.  
T. item in *Diogene Laërtio* & *Julio Polluce*; Ita li-  
bri ejus manu notati, & in publica auctione Bib-  
liotheçæ egregiæ distracti, ostendunt, eum in  
omnis generis Auctòribus græcis, potissimum vero  
in *Homero* & *Hippocrate* emaculando, versatum es-  
se. Utinam Viri eruditæ, in quorum Bibliothè-  
cas ista Exempla Battieriana transierunt, potiora  
inde excerpere, atque edere in lucem velint. Cer-  
te Clar. Trillerò ipsum scimus transmisisse nonnulla,  
alia vero conscripsisse, quæ ob seriam & obtusam  
oculorum aciem tam male picta sunt, ut inven-  
tus sit nemo, qui legere potuerit. Obiit tandem  
Battierius tot laboribus & senio debilitatus D. 23.  
Aprilis. A. 1744.